

LEONHARDVS AB HARRACH BARO AD KORAVV.



Leonhardus ab Harrach ex honesta familia natus, & in omni genere uirtutum optimè educatus est. Is à pueris bonis literis incubuit, & in ijs egregiè profecit. Postea quoq; bellorum studia secutus, rei militaris magnam cognitionem acquisiuit, atq; ideo omnibus gratissimus extitit. Accedebat & rara prudentia & uitæ integritas. Id cum Ferdinādus Imperator exploratum haberet, eum intimum consiliarium habuit, atq; res magnas suo nomine expedire iussit. Postea quoq;, cū quorundam honestorum officiorū magister hæreditarius esset, Maximilianus rex eum supremum Camerarium constituit, & plurimū ob multas corporis & animi uirtutes dilexit. eum quoq;, cum 1562 Franckoforti Cæsar eligeretur, semper secum habuit, & ei sua consilia communicauit. Hinc factum cum officium suum ubiq; præstaret, ut omnibus innotesceret, & Cæsar is curiam plurimū exornaret. In eo uitæ genere Leonhardus etiamnum pergit, & inter Austriae proceres conspicuus existit. Anon.